

facies, sed et filium Dei te esse demonstrabis. Ita enim Christus ait: *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est.* Vidit centurio Christum in cruce immania Judæorum probra, quasi lapides, summo cum silentio et patientia devorantem, et pro iis preces rependentem; indeque mox collegit, ipsum esse Dei Filium. Vidit Saul Davidem bona sibi pro malis rependentem, et mox appellavit eum filium suum: *Vox hæc tua est, fili mi David?* I. Reg. XXIV. Imitamini ergo Christum, imitamini Stephanum, imitamini Davidem: *Et eritis filii Patris vestri, qui in caelis est.*

## CONCIO III.

STEPHANUS JURE ANGELUS HABITUS.

I. Ob ejus innocentiam. — II. Ob ejus æquanimitatem et animi fortitudinem. — III. Ob dilectionem inimicorum ejus. — IV. Ob eminentem ejus sapientiam. — V. Ob intuitum Christi a se conspecti.

## THEMA.

*Viderunt faciem ejus tamquam faciem angeli.*  
Act. VI.

Audivimus heri jubilantes et cantantes angelos in nativitate Christi. Ecce, auditores? Non forte quia propter angelos etiam Christus natus est, ut et ipsos redimeret? Negat id S. Gregor. in Job, c. XXXVIII. cum ait: *Angeli electi incarnationis mysterio redempti non sunt.* Ecce ergo jubilant? Causam adfert idem S. Gregor. ho. XXI. in evang. Quod nimirum nostra festivitas etiam ipsorum festivitas sit: *Quia nos revocando ad cælestia, eorum numerum implevit.* Gavisus ergo sunt, quia nos sibi per Christum cohæredes in cælo et similes sibi habituri sunt, juxta id Salvatoris: *Erunt sicut angeli Dei in cælo,* Matth. XXII. Talis imprimis fuit S. Stephanus, qui primus pro Christo pugnavit in concilio, visus est habere faciem quasi angeli, utpote jamjam migraturi ad societatem angelorum ex hoc mundo. Fuisse autem vere angelis similem, hic ostendemus.

I. Arbitror hunc ei decorem a Deo collatum, ad demonstrandam angelicam ejus innocentiam, ut exterior vultus pulchritudo interiori animæ ostenderet, et Judæos perfidos confunderet; siquidem tunc alium defensorem suæ innocentie non habuit, nisi Deum. Solet enim Deus innocentie testimonium dare eamque defendere contra oppressores, ut vel parcant illi, vel castigentur. Cujusmodi exemplum habemus imprimis in tribus pueris in fornacem missis, Dan. II. quos flamma quidem non modo non læsit, sed

placido etiam vento refrigeravit: illos vero qui eos miserunt in fornacem, flamma corripuit. Quod etiam in Daniele innocente ostensum, quem leones in lacu nequaquam attigerunt; illos autem qui eum falso accusarunt et immiserunt, in momento dilacerarunt, priusquam omnino descendissent. Ita cum superioribus annis quidam capti e confiniis Hungari a Turcis abducerentur in Turciam, jussit Bassam unum ex illis Hungarum, juvenem pene imberbem, ad palum alligari, et leonem a circulatore, quem is cicurem circumducebat, in illum incitari, ut dilaniatus, Turcis jucundum spectaculum faceret. Verum leo juveni blandiri potius quam nocere. Acrius a magistro incitatus, ungula ocream unum a pede abstraxit. Denique, fustigatus convertit se in magistrum suum, eumque in frusta dilaniat. Confusi Turcæ, juvenem et reliquos dimiserunt, qui postea redempti vel commutati ad suos reduces hoc narrarunt, Camerar. cent. II. c. LXXXV. Solent magistratus reorum vultus observare, an palleant, balbutiant, tremant, etc. Nihil tale in vultu Stephani, sed viror, decor et alacritas angelica, ut ejus innocentiam vultus ipse demonstraret. Sic etiam Achis rex Davidem, in aula sua innocentissime conversantem, appellavit angelum: *Bonus es tu in oculis meis, sicut angelus Dei,* I. Reg. XXIX. Quando igitur coram ethnicis etiam hominibus, imo et coram bestiis, amabilis est innocentia, quis non conetur omni studio eam sibi comparare?

II. Propter ejus æquanimitatem et animi fortitudinem, quam ostendit in adversis rebus; quo sensu etiam David a Thecuite, II. Reg. XIV. angelus vocatur: *Sicut est angelus Dei, sic est dominus meus rex, ut nec benedictione nec maledictione moveatur.* Angeli enim custodes, licet suorum clientum peccata inspiciant, non tamen ideo illos deserunt, et licet summo studio salutem nostram invigilent, quicumque tamen eventus sit, nihil de æquanimitate et beatitudine sua deperdunt: quemadmodum et David nec laude Thecuitis, nec vituperio Semei ejusque lapidibus de animi sui tranquillitate dimotus fuit. Id quod etiam in S. Stephano patet, qui in medio accusatorum et falsorum testium semper virens et serenus, sibi semper similis et æquanimis fuit, nec ab animi sui pace ullo modo depelli potuit, quin in medio etiam canum circumlatrantium imperterritus, oculos in cælum intentos haberet, dicens: *Video caelos apertos,* quasi diceret: Nil curo vestras minas, quia cælum mihi apertum video, velut patriam. Ad hæc, maximo quidem æstu salutem incredulorum sitiit: ubi tamen se surdis canere, eosque dentibus stridere atque exasperari vidit,

oculos ab eis deflexit et intendit in cælum, ibi anchoram suam figens, viditque gloriam Dei, et Jesum stantem. Unde jure merito dicitur, Act. VI. *Plenus fortitudine.* Refert Herodotus et Suidas, in voce Callim. Callimachum Atheniensium polemarchum in pugna Marathonica a Persis inter acervos corporum mortuorum ita omni ex parte coopertum sagittis in situ pugnantis inventum, ac si ipsis sagittis, velut oppositis ponderibus, in situ hominis stantis fuisset sustentatus, ne laberetur (unde forte Callimachus, hoc est, *pulcher pugil* appellatus): adeoque Persæ bellicositatem hominis obstupuerunt, ut non aliter atque immortalē aliquem habuerint. Videt Stephanum nostrum in acervo lapidum erectum stantem, et lapidum quidem imbrem excipientem, sed precibus pugnantem: quis hunc non immortalē, non angelum potius, quam hominem dixerit? Quis non pulchrum pugilem?

III. Propter inimicorum dilectionem. Hanc ob causam quoque David angelus appellatus fuit a Miphiboseth, II. Reg. XIX. *Tu autem, domine mi rex, sicut angelus Dei es; fac quod placitum est tibi,* quasi diceret: Non dubito te mihi benevolum fore, qui etiam avo meo Sauli, inimico tuo, sæpe ignovisti; quare mihi utique falso accusato, etiam ignoscas, quoniam erga inimicos etiam facilis ad ignoscendum benignus es. Ita enim et sancti angeli, licet nostris peccatis, sordibus et ineptiis quotidie offendantur, fovent tamen ac custodiunt nos, promoventque ad salutem, et tandem ad cælum deducunt. Nos de ipsis vix aliquando cogitamus, raro eorum beneficia agnoscimus aut gratias agimus, cum interim illi de nobis semper cogitent et solliciti sint. Angelus ergo S. Stephanus visus est, quia et ipse bona pro malis, orationem pro lapidatione suis interfecto retribuit. Ipsi falsis testibus eum accusant et damnant, ejectione e civitate et lapidant: Stephanus autem pro eis interim orat, et quidem flexis genibus, necnon clamans voce magna, atque ut vult S. Aug. ser. XCIX. de diversis, cum lacrymis, ut ostendat quam bene eis cupiat, quibus peccatum id dimitti tam ferventer orat. Quis non existimet ipsum vel esse angelum, qui lapidum ictus non sentiat? Aut infantem prorsus, qui lapides putet esse panes? Quis non homo fuit, qui pro lapidibus gemmas vel aureos redonavit? Multum quidem David præstitit, quando lapides a Semei versus se suosque projectos patienter tulit, nec ultionem capere voluit; sed nec lapidibus illis tactus aut læsus fuit (cum Semei procul staret) nec lapides precibus aliove beneficio compensavit. At Stephanus, quasi mendicus aliquis panem a divite accepisset, precibus

pro lapidibus rependit, quibus etiam Saulum persecutorem suum convertit, atque (ut revelatum S. Marthæ de Oignies refert card. a Vitriace) ejus decollati animam in manus suas suscepit, et Deo præsentavit: quod alioquin angeli faciunt suis clientibus. Nos ergo, si angelorum commilitones esse volumus, Stephanum imitemur, et adversam etiam fortunam pati fortiter discamus. Fuit talis Joannes minor Thebæus, discipulus abbatis Ammonis, qui per duodecim annos cuidam seni infirmo inservivit: senex tamen, licet sedulo valde sibi ministranti, nullum unquam verbum blandum aut placidum dedit. Cum vero obitus ei instaret, tenuit senex manum ejus, et dixit ei: *Salveris, salveris, salveris et tradidit illum senibus, dicens: Iste non homo, sed angelus est, qui tot annis mihi infirmo, nec tamen bonum verbum a me audiens, fecit obsequium,* Ruffin. in vit. pp. l. IV.

IV. Propter eminentem sapientiam. Hanc etiam ob causam David angelo comparatus fuit a Thecuite, II. Reg. XIV. *Tu autem, domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.* Jam vero sapientia in Stephano tanta fuit, ut licet doctissimi quique ex variis synagogis et scholis contra eum unum disputarent, nihil tamen efficerent, nec sapientie ejus resistere possent: *Et non poterant resistere sapientie (Stephani) et Spiritui qui loquebatur,* inquit S. Lucas, Act. VI. Porro angelis sapientiam suam hominibus impendunt, et quidem maxima cum charitate, ut eos ad salutem dirigant. Patet passim in sacris litteris. Angelus docuit Jacob, quo artificio plurimas oves varii coloris sibi pararet: angelus docuit Tobiam, ad quid prodesset ei jecur et cor piscis: angelus docuit pastores, ubi Christum natum invenirent: Josephum quare et qua prole gravis esset sponsa ejus: item quando fugere in Ægyptum, quando et quo regredi deberet. Quandoque etiam lapsos verberibus castigant, ut ad vitam eos reducant, uti fecerunt Natalio in hæresim lapsos, ap. Euseb. l. V. hist. o. ult. Pari modo S. Stephanus omnem sapientiam suam hominibus impendit, ut ad salutem eos promoveret. In hunc finem disputavit cum tot Judæis litteratis, ut fidem eis persuaderet, et cum præfractos cerneret, acrius increpare et confundere cepit. Hanc ob causam, cum videret cælos apertos et Jesum stantem a dextris Dei, voluit hoc arcanum omnibus aperire, ut hoc potenti argumento duos corde emolliret ac convinceret, atque ad Christi fidem adduceret. Jam qui angelos et Stephanum imitari vult et cum illis conari, sapientiam sibi a Deo concessam fideliter aliis communicet: *Sapientiam enim abscondita e*

*thesaurus invisus; quæ utilitas in utrisque?* ait Eccl. cap. LI. Sane qui talentum sibi traditum abscondit nec ad usuram dedit, a domino suo audiit: *Serve male et piger, etc. Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis et veniens ergo recepissem utique quod meum est, cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, etc. et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores*, Matth. XXV. Si reprehensione dignus est, qui pecuniam suam abscondit, quanto magis qui alienam? Sapientia tibi tradita noni tuam quam Dei. Hinc papa Gregorius III. dixit Sancto Wilibaldo episcopo Eysteltensi: *Tot damnatorum pœnas sustinebit, quot animas quis neglexerit lucrari prætextu propriæ quietis*, apud Lipel. 7. julii, in vita Sancti Wilibaldi. Neque curandum est, si docendi vel corrigendi aures obturent, vel dentibus strideant, uti auditores Sancti Stephani: quin potius acrius objurgandi sunt, quemadmodum ipse fecit. Sperandum enim foret, ut aliquando tandem errorem suum agnoscant et vitam corrigant, uti correxerit Saulus, qui prius etiam obturavit aures et eiecit Sanctum Stephanum: postea resipuit et culpam suam agnovit ac deploravit, Actor. capit. XXII. Non secus ac chordæ in cithara, dum attemperantur, ingratum et stridulum edunt sonum; ac ubi attemperata sunt, gratum et concinuum.

V. Propter intuitum Christi in gloria regnantis. Quemadmodum enim angeli, dum in terris versantur et nobis serviunt, semper vident faciem Dei; ita Stephanus in terris constitutus, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei, idque ipsum crebro fecisse colligitur ex causali præmissa; *Cum esset plenus Spiritu sancto*. Quorsum enim Spiritus s. eum trahebat aut impellebat, nisi ad conspectum Dei? Ergo qui angelos custodes et B. Stephanum imitari cupit, primo, in omni sua actione Deum velut præsentem et a se conspectum præ oculis habeat; quod docuit filium Tobias: *Omni diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum*, Tob. IV. Hac ratione cito perfecti evaderemus, uti indicat Deus Abrahamæ dicens: *Ambula coram me et esto perfectus*, Gen. XVII. Cogitare enim debemus mundum esse templum Dei, uti revera est. Jam si ubique ita versaremur, sicut in templo solemus, quam multa peccata vitarem! Et hoc est, quod docuit S. Petrus, ut refert S. Clemens, ep. 1. ad Jacob. frat. Domini: *Instruebat actus suæ vitæ omni hora custodire et in omni loco Deum respicere*. Secundo, in omni actione nostra divinum auxilium imploremus, et directionem a Deo petamus, sine quo nihil efficiemus. Quam ob causam Ecclesia docuit nos ad omnium horarum initium orare: *Deus in adiutorium meum intende*. Sic Susanna, cum duceretur ad mortem in cœlum suspexit:

sic etiam Stephanus in cœlum intendit, inde auxiliium sibi postulans ad patiendum. Tertio, omnes actiones nostras conformemus, sicut heliotropium solem aspiciens se cum ipso convertit: sic egit Stephanus, qui quasi crucifixo Christo adstitisset, ita belle eum imitatus est. Commendat animam suam moriens Deo, uti Christus fecit: orat pro inimicis, uti Christus fecit. Quarto, actiones omnes in Deum, velut ultimum scopum, terminemus. Sic angeli faciunt; unde ii, quos novimus, omnes sua nomina terminant in Deum: Michael, Gabriel, Raphael; fortitudo Dei, vir Dei, medicina Dei.

Jam vero quis nostrum non esse inter angelos desiderat? Stephanum igitur sequamur, et discamus ab eo angelorum moribus hic accommodare. Non patiuntur ephebi regem inter se aliquem ignobilem, nec angeli hominem terrenum, terræ addictum.

#### CONCIO IV.

QUAS CORONAS MERUERIT S. STEPHANUS.

Congruit S. Stephano vocabulum coronæ. — I. Meruit castrensem coronam. — II. Meruit coronam civicam. — III. Meruit coronam ovalem. — IV. Meruit coronam muralem.

#### THEMA.

*Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo*. Actor. VI.

Speciosa res est pulchrum nomen, si vitaomini respondeat. Tale est nomen Stephani, quod Græco coronam significat, ac jure optimo decet S. Stephanum; tum quia a Deo prævisus est lauream martyrii primam obtenturus; (qua ratione Christus *Jesus* dictus, quia salvum facturus esset populum; Abel, hoc est, *vanitas*, sic appellatus est, quia jam præsgit mater ipsius vitam fore *vanitatem*, id est, brevem) tum quia non unam sed plures coronas erat meriturus (qua ratione S. Pelagia asserit se vulgo vocatam *Margaritam*, eo quod se ornare multis margaritis consuevisset). Noster ergo Stephanus jure *corona* appellatur, quia plures meruit coronas in cœlo. Has nunc contemplemur.

Dabantur olim a Romanis variæ coronæ heroicis, qui præclarum facinus designassent.

I. Primo, iis, qui primi in hostium castra irruisent, vel in eorum naves insillissent, *coronam castrensem* dictam. Illa valli, hæc castrorum figuram habebat. Meruit hanc Stephanus, qui concilium Judæorum, Christo contrarium, publice et acriter

invavit et increpavit omnium primus, Deum enim coram eis rationem fidei suæ reddit, repente argumentum abruptum, insilit in Judæos hæc voce: *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis; sicut patres vestri, ita et vos, etc.* videns eos nec intendere, nec fidem habere iis rebus quas prædicabat, adeoque sub alas Christi confugere nolle, tametsi bene noverat eam increpationem sibi necem parituram. Non injuria comparandus duce tribus Juda, Aminadab, de quo Hebræorum traditio est apud Hieron. in Osee, cap. XI. eum cum sua tribu primum descendisse in viam maris rubri post Moysen, ideoque obtinuisse, ut sceptrum semper in tribu Juda maneret. Periculosum fuit Stephano intrare ad inimicos undique illum circumfremescentes, quia id erat in mortem et martyrium intrare; intravit tamen intrepidus. Id quod aliquando non fuit ausus Isaia, ut nimirum corripere Oziam regem, non verentem adolere incensum, licet sanguine sibi junctum. Unde lamentatur: *Væ mihi, quia tacui*, Isa. VI. ut ibi Hieron. Cyrillus, Haymo. Habent hic auditores quod observent quando concionatores subinde invehuntur in eorum peccata, maxime publica, ne indigne id accipiant. Faciunt enim illi quod sibi a Deo mandatum est, ne velut canes muti a Deo increpentur et gemant cum Isaia: *Væ mihi quia tacui*.

II. Secundo, iis, qui civem servassent in prælio, dabatur *corona civica, militaris virtutis insigne clarissimum*, ait Plinius, l. XXII. c. V. Meruit hanc Stephanus, dum sua oratione servavit in suo certamine Saulum, civem et condiscipulum suum, licet hostem, ut insinuat Lucas, dum ejus orationi pro inimicis subdit mox: *Saulus autem erat consentiens neci ejus*, sentitque Ecclesia, et asserit sapius Augustinus: *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet*. Ad hæc S. Maria de Oignies ait sibi revelatum, animam Sancti Pauli decollati a Stephano exceptam et Deo præsentatam esse, dicente: *Domine, hoc ingenii et singulari munere tu me donasti, ego vero multiplici fructu auctum tibi restituo*, cardinale a Vitriaco teste, in vita Mariæ Oign. l. II. cap. XI. Nec dubitandum una cum Saulo plures alios Judæos Stephani precibus conversos. Sane etiam post anno 418. ejus precibus adscripta fuit conversio quingentorum et quadraginta Judæorum in urbe Maiona, insulæ Maioricæ, cum illie ejus reliquiæ inferrentur. Dum enim Judæi more suo etiam tunc lapides jacerent in Christianos, neminem tangere poterant, et interim eorum synagoga, cœlitus immisso igne, conflagravit. Qua vertentes Dei manum, conversi sunt, teste Severo episcopo

Maioricen. Plæclara est hæc victoria, *vincere in bono malum*, lucrari animas hostium et salvare; quam enim nunc in cœlo sibi mutuo gratulabuntur Stephanus et Paulus. Iste Stephano conversionem suam, ille Paulo coronam, ejus occasione sibi partam, adscribet. Habent hic Christiani, quomodo alter alterum lucrari, atque inter se pugnare debeant, non gladiis sed precibus. Scipionis vocem sæpe usurpabat Antoninus Pius imp. teste Capitolino: *Malle se unum civem servare, quam mille hostes perdere*. Usurpet eandem vocem quisvis Christianus. Mundus gloriosum reputat hostem occidere; ac longe gloriosius est, et quidem coram Deo, eum servare. Laudatur factum Helveti ejusdam, inter 4600. (anno 1442.) apud Basileam a Delphino Galliæ interfectos, seminecis jacentis, qui videns Burcardum nobilem, patriæ proditorem, cædis ipsorum causam, obequitare inter cadavera interfectorum, eisque insultare, dicentem: *Quam jucundum hoc præteritum!* se in genuas erigens, lapidem apprehendit, eumque in faciem equitantis projecit tam fortiter, ut is plane de equo ceciderit atque extinctus sit, auct. Stumpsio, in chron. Helv. Deo sic castigantes sanguinarii hominis vocem: sed longe pulchrior campus S. Stephani, pulchriusque certamen, quando, positis genibus, non lapidem, sed orationem projecit in faciem insultantis sibi Sauli, eumque non ad mortem, sed ad vitam prostravit ac convertit.

III. Tertio, iis qui absque sanguine peperissent victoriam, dabatur *ovalis corona*, sicque ovantes intrabant urbem. Debetur et hæc Stephano, qui orando non cadendo, proprium non alienum sanguinem fundendo, peperit victoriam. Vicit autem non inimicos tantum sua constantia, sed etiam seipsum, condonando eis tantam injuriam, et orationis beneficio compensando. De Davide legimus, 1. Reg. XXIV. quod, cum deprehendisset Saulem se persequentem, in spelunca, confregit milites suos ac continuerit, qui eum occidere cogitabant, et non nisi oram chlamydis ejus præsciderit; quam cum a longe Sauli ostenderet, ait Saul: *Nunc quia scio, quod certissime regnaturus sis*. Mira conjectura: ex eo quod inimico pepercerit David, colligit Saul eum regem futurum. Et ecce tibi Stephanus, ubi pro inimicis suis oravit, statim evocatur ad coronam regni cœlestis: *Cum hoc dixisset*, ait Lucas (scilicet: *Domine ne statuas illis hoc peccatum, obdormivit in Domino*. Unde S. Augustinus, ser. II. de sanctis: *Ecce quid est requiescere! Pro inimicis orare*. Jure igitur ei cœli aperti sunt. Nec caret mysterio, quod cum anno 4099. die 15. julii, fer. VI. Jerusalem recuperaretur a Christianis, per illam por-

tam, antequam Stephanus lapidatus fuisset (inde a Christianis jam olim porta S. Stephani appellata) Christiani primum, ea effracta, irruerunt, adhortante eos ex opposito monte Oliveti milite quodam (qui forte Stephanus fuit) teste Tyrio, l. VIII. belli sacri, c. XVI. satis per hoc indicante Deo, quod regnum cœlorum per dilectionem inimicorum, quasi per viam ac portam S. Stephani, velut armata manu et certissimo expugnetur.

IV. Quarto, iis qui primi murum hostilem inscendissent, et in arcem vel urbem penetrassent, dabatur *corona muralis*, muri pinnis decorata. Debetur et hæc Stephano, qui primus omnium per martyrium ascendit in arcem cœli; unde jam apertum sibi ostium cœli videns clamat: *Video cœlos apertos*, quasi diceret: Jam supra murum cœli sto, jam introspectio in cœlestem civitatem. Reperio semper eum, qui Jerosolymam primus ascendisset, singulari præmio donatum, uti Joabum, 1. Par. XI. Idem Titus promisit, et Sabinus tentavit, apud Josephum, l. VII. de bello, c. 1. Denique, Godefridus Bullionius, qui anno 1099. turri lignea admota, primus murum conscendit, adeoque etiam primus Jerosolymæ rex postea electus est. Scimus autem Jerosolymam typum esse cœli. Jure igitur prima martyrum pulcherrimæ laurea Stephano debetur, qui primus vi adhibita et sanguinem fundendo cœlum expugnavit. Quisquis ergo ad primam et præcellentem lauream in cœlo accipiendam aspirat, non dubitet in terra præcedere fortunæ exemplo. Quantam putatis meruisse coronam duos adolescentes nobiles, qui in Pomerania fidem primo amplexi, initium dedere conversioni totius Pomeraniæ, prædicante ejus evangelium S. Othone episcopo Bambergensi! Rem narrat in ejus vita Andreas abbas S. Michaelis, apud Sur. 2. julii, l. II. c. XVI. et XXVII. his verbis: « Quotidie, dum hæc geruntur, fidei retia laxantibus, et nihil nobis capientibus, et multum super hoc tædentibus; tandem benignus Dominus sed utilitatem boni servi sui Othonis, laborem, quoque et mœstitiam miserando respexit. Nam duo pulcherrimi adolescentes, filii cujusdam nobilis de civitate (Stetino) domum nostram frequentare, familiares se præbere, paulatimque de Deo nostro, et de fide quærere cœperunt. Episcopus autem sentiens quia in bono veniunt, futurorum bonorum ex his captando præsagium, blandis mulcet alloquiis, atque de munditia et honestate christianismi, de immortalitate animarum, de resurrectione corporum, de spe et gloria æternæ vitæ adolescentibus per singulos dies evangelizavit; quæ omnia, flante Spiritu sancto, pueri altius suis imbibere pectoribus: neque diu cunctati, credere se velle, atque

baptismum percipere dixerunt. Episcopus ergo lætissimus pueros statim catechizat, ac de omnibus, quæ christianæ religioni competeant, diligenter instructos jussit, ut loti et lotis induti cum cereis suis albissese præberent baptizandos. Illi ut moniti erant, silenter exequentes omnia, die statuto, parentibus insciis et purificati, novisque ac mundis vestibus induti cum albis et cereis, percepturi sanctum baptismum se manibus episcopi obtulerunt. Videns humano in corpore vultus angelicos, videns expulsa dæmoniaci squaloris inertia, in vultibus juvenum Christum novum hominem, gratioso jam coruscante aspectu, pontifex ipse omnesque alii sacerdotes et clerici gavisus sunt, et admirati super gratia, quam videre in pueris. Sed quid morer? Baptizati sunt, et propter octavam purificationis octo dies apud nos commorantes, in domos parentum non sunt reversi. » Et paulo inferius: « Præfati pueri, cum ad suos adolescentes pervenissent, et quomodo ab episcopo habiti et instructi essent, et quanta apud illum esset disciplina et honestas, quanta pietas et mansuetudo, ruminare cœperunt: mox etiam quantæ munificentia et liberalitatis circa omnes extiterit, prædicare oblitii non sunt. Atque in argumentum rei: Cernite, inquiunt, his indumentis post omnia beneficia sua nos induit, his aureis cingulis honoravit, pecunia sua captivos redemit, suis impensis eosdem vestit, cibo reficit, et liberos abire dimittit. Quid unquam simile visum auditumque in terra Pomeranorum? Quid simile pontifices et sacerdotes nostri faciunt? Hunc certe aliquem visibilem Deum inter homines advenisse, ipsa gratuita redemptio captivorum in cippis et compeidibus putrefactorum, multos cives nostros fecerat autumare. Sed ille hoc negans non Deum se, sed Dei altissimi servum pro nostra salute ad nos directum dici et credi optat: et animæ immortalitatem et corporum resurrectionem et æternæ vitæ gloriam, doctrinam dicit esse Christianorum. Hæc et his similia pagana juvenus a juvenibus audiens, aspirante gratia Dei, tracta est et attracta per eosdem in eundem fidei fervorem: reversique ad episcopum, pueri fide recentem imbuti, more columbarum alias trahentium, gregem non modicum adduxere cœvorum, evangelii rudimenta suscipere cupientium. Quid multa? Catechizantur, baptizantur, et a pueris et juvenibus cana patrum prudentia se passa est erudiri: flammaque fidei paulatim progrediente, concaluit civitas universa, neque jam occulte vel pauci, sed publice et multi simul quotidie veniebant ad fidem. » Ergo duo adolescentes prodromi ad baptismum, post se traxere totam Pomeraniam, sicut Stephanus juve-

nis tot millia ad martyrium. Quando igitur tot coronas tanto jure promeruit S. Stephanus, superest ut ei omnes congratulemur, velut omnium martyrum duci et vexillifero, primam inter martyres coronam. Cæterum rogemus eundem, ut quemadmodum Godefridus Bullionius, muro Jerosolymæ conscenso, et desultu in urbem factotandiu dimicando, hostem detinuit, donec fratri suo, foris adhuc pugnanti, potestatem faceret reserandi portam, ut et ipse cum suis copiis urbem ingredi posset: sic etiam in cœlo Stephanus sua ad Deum intercessione pugnet pro nobis, qui adhuc foris militamus, donec ipsi quoque, reseratis cœli foribus, ad ipsum aliosque cœlites cum triumpho ingrediamur.

## CONCIO V.

QUID COMMISERIT S. STEPHANUS UT LAPIDARETUR.

Sanctus Stephanus lapidatus est: I. Quia veritatem dixit Judæis. — II. Redarguit obstinatos. — III. Dissimilis in moribus fuit suis adversariis. — IV. Fuit sectator et spectator Christi. — V. Sanctus Stephanus vidit cœlos apertos.

## THEMA.

*Persequemini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis justus. Matth. XXIII.*

Celebres a sapientia Athenienses olim hanc consuetudinem habuerunt, ut subsellia judicum, qui de sanguine alicujus judicaturi erant, porcelli alicujus, prius mactati, rore sanguineo ante sessum leniter respergerent (teste Sigon. apud Caussin. l. V. symb. II. XX.) ut memores essent judices, se de vita et sanguine hominis decernere: quem si injuste profunderent, scirent se ita respersum iri hoc cruore, uti subsellia, in quibus sedebant, sanguine porcelli. Adeo etiam ethnicis grave visum est judicium de sanguine, ne temere, inconsiderate et tumultuarie perageretur. Quid respondebunt hic Hebræi, qui B. Stephanum absque ullo juris ordine, non probatis testibus, facto in eum impetu, e concilio exturbant et lapidibus obruunt? Nonne Stephani sanguine seipsos consperserunt? Dicite enim vos judices: Quid mali egit Stephanus, ut eum nec convictum, nec ulla sententia condemnatum tam diro supplicio afficiatis? Nihil afferre potestis, nisi furorem vestrum et odium in sanctum. Sed enim, dicet aliquis: Debet fuisse causa aliqua, quæ Stephanum damnavit, quæcumque tandem illa. Fuit non diffiteor, nec una, sed plures, quas hic exponam.

I. Veritatem Judæis dixit; ideo lapidatus est.

Accusatus enim est a testibus subornatis, quod dixisset subvertendum a Christo locum sanctum, seu templum seu civitatem Jerosolymam, et immutandas traditiones Moysis, seu legem, Act. VI. At hoc erat veritatem dicere, quod ad rei substantiam attinet; quia revera templum et civitas eorum eversa est, lex in evangelium mutata. Falso tamen accusant Stephanum, quod dixerit a Christo subvertendum templum (nam a gentilibus id faciendum prædixerat Christus, et ex eo Stephanus) et mutandam legem Moysis; quam Christus non soluturum se, sed adimpleturum dixit; et secundum hæc recte appellantur illi *falsi testes*. Causa igitur denuntiationis Stephani erat, quia veritatem edixit; siquidem revera contigit quod dixit. Unde Gregorius Nyssenus, orat. de Stephano ait: « Quod malefium in his verbis continetur, sive vera sive falsa loquatur. Nam si quidem mentitur, id quod angit et male habet, non eveniet: sin autem vera dicit, quænam est injuria sermoni, quo prædicitur id, quod eventurum sit? Nam quæ fient, prorsus evenient, sive sileamus sive loquamur: at cædes prædicentis quam affert incommodorum prædictionem? » Sed hoc ipsum erat quod Judæi audire horrebant, ut malum id eventurum eis prædiceretur. Nimirum tristium denuntiatio et veritas odium parit, juxta id sapientis cujusdam inter veteres philosophos celebratum: *Ex tribus pulcherrimis matribus tres de formissimos filios generari: ex pace otium, ex amicitia contemptum, ex veritate odium*. Celebre hujus rei exemplum est Achab rex, qui belli eventum exploraturus, quadringentos circiter pseudopphetas consuluit, solum Michæam, verum prophetam præterivit: sed quare? *Odium enim, inquit, quia non prophetat mihi bonum, sed malum*, III. Reg. XXII. Quid vero id obfuit regi, si revera eventurum erat? Consultus ergo ad instantiam regis Josaphat, respondet primo, quod placitum sciebat Achabo: *Ascende et vade, prospera, et tradet eam* (Ramothe Galaad urbem) *Dominus in manus regis*. Sed hoc per ironiam, quasi dicens: Quia vis ut loquar tibi non vera, sed bona et placentia; ecce loquor ad placitum. Adjuratus tandem ut verum loqueretur, annuntiat ei eadem ex responso divino. At hoc displicuit regi, et propterea Michæas percussus est in maxillam, jussus quoque a rege includi in carcerem et sustentari *pane tribulationis et aqua angustia*, donec e prælio reverteretur rex in pace. Verum is juxta verbum prophetæ in prælio occisus est, sicque ut timendum, salutem etiam perdidit; quam, si Michæa credidisset, parare sibi potuisset, disponendo se ad beatam mortem. Quare cui mercedem debebat (multi enim dant aurum as-